





847 1/2

22

1732, 21

FACULTATIS JURIDICÆ  
 DECANVS,  
 JO. PHILIPPVS

*Streit*, JCTVS,

MOGVNT. ELECTOR. CONSILIA-  
 RIVS REGIMINIS,

L. B. S.



ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
 Acad. Typogr.

*Streit*



ACCADEMIA IURIDICA  
DECANVS  
JO. PHILIPVS

SECRETVS

NOBILIT. ELECTOR. CONSILII  
LIVS REGIMINIS

L. B. S.



ERRATA  
The JOH. CHRISTOPH. HENCK  
Acad. Typog.





**C**AUSA matrimoniales ardua sunt, siue thorum conjugale, siue habitationem, siue ipsum vinculum concernant, cuius dissolutio divor- tium vocatur, huiusque derivatio ipsa ejus intimam indolem ostendit: à divertere enim descendit, quod propriè secessionem à recta viâ facere significat, vel etiam diversitatem mentium denotat, cum in diversas partes eant, qui distrahant matrimonium *L. 2. ff. de divort.* cui simile est repudium, cum hac etiam inter sponsos fiat *L. inter 101. ff. de V. S.* Nomine Sponsi & Sponsæ verò propriè intelliguntur ii, qui celebrarunt sponsalia de futuro; impropriè autem illi, qui contraxerunt sponsalia de presenti, quæ à matrimonio rato non differunt. Illorum effectus est, quod obligent spon- sos ad contrahendum suo tempore matrimonium, & qui- dem sub peccato gravi, ut ad implementum cogi, *cap. 10. X. de Sponsal.* non tamen absolute, seu valde rigoro- se, propter difficiles enim exitus minus malum permittitur, sed per monitiones tantum possint. Sed disceptatur, an spon- salia etiam in foro externo actionem pariant, præsertim si nudo pacto sine forma stipulationis contracta sint? pro negativa videtur facere, quod ex nudo pacto non detur actio; & quia de jure Codicis & Digestorum liberum est à sponsalibus resilire. *per L. 1. cod. de sponsal. L. Tertia. 134. ff. de verb. obligat.* Verùm hæc sententia passim exploditur, & ex sponsalibus etiam simplici conventionione contrahentium celebratis obligationem naturalem, & civilem, consequen- ter & actionem in foro externo dari, ostendit quotidianus usus tribunalium Ecclesiasticorum; non enim sunt pactum nudum, sed legitimum ob specialem assistentiam SS. Cano- num *Can. 46. 47. & 50. Caus. 27. q. 2. cap. 10. & 17. X. de sponsal.*

Nec

Nec huic opinioni quidquam derogat, quod de jure civili sponsum, aut sponsam liberè repudiare liceat: hoc nempe per Jus Canonicum mutatum est, quod sponsalium conventiones arctis vinculis adstrinxit, sancivitque, ut rata, fixa, firmaque essent. Dicitur sponsum, quod sponsalia obligent sponsum ad contrahendum matrimonium *suo tempore*. Si itaque quæras, quodnam sit illud tempus? Resp. conventionem servandam esse; unde si sponsalia sub conditione sint inita, non nisi post eventum conditionis sunt adimplenda. Si dies expressus, & ille erit observandus, ex principiis primis, quia in priori casu, ab eventu conditionis cedit, & venit dies. In posteriori lapsu temporis venit dies. Subintelligendum tamen est, quamprimum commodè fieri potest; quod enim sine die est promissum, presenti die debeatur. *L. in omnibus 14. ff. de R. I.* id moraliter procedit: præcipue in sponsalibus, in quibus ex naturâ rei subest conditio: *Si pars altera petat ea adimpleri*: alias enim tacite dilationem tribuit; addunt tamen communiter DD. Parochis curandum esse, ut post contracta sponsalia, quamprimum fieri potest, subsequatur matrimonium, ad Vitandum fornicationis periculum. Solent etiam in Sponsalibus intervenire arrhæ, unde in rubrica codicis additum est: *De arrhis sponsalitiis*, hæc sunt id, quod in argumentum & pignus futuri matrimonii datur, ut plurimum à sponso sponsæ, rarius à sponsa sponso. An verò uterque dare & accipere possit? Inter interpretes non omnino constat. Negat Zælius *ad ff. de Sponsal. n. 7.* ed, quod mutua arrharum traditio videatur esse superflua. Affirmat Covarruvias *de matr. p. 2. c. 3. §. 7. n. 8.* cujus opinio videtur probabilior alterâ, tum quia reciproca arrharum datio nullâ lege est prohibita: tum quia hæc mutua arrharum datio utilis est, ex quo qui refilit, amittit datam, & acceptam restituere tenetur; quod certè securius est, quàm qui nullam dedisset, sed solum accepisset. Occasione hujus quaritur: An etiam adjici possit pœna, si pars non steterit promissis? Resp. non posse, & si ea fuerit adjecta, adjectionem illam ipso jure esse irritam, tam civili, ut patet *ex L. mulier. §. cod.*

*§. cod. de sponsal. in verbis: Si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit: cum in contrahendis nuptiis, libera potestas esse debeat. Quam Canonico, ut constat ex cap. Gemma. 29. d. t. quod habet: Stipulationem propter pœnæ impositionem esse merito improbandam. Unde ibidem mandatur, ut ecclesiasticâ censurâ compellatur desistere ab extorsione pœnæ, ut libertati matrimonii consulatur, ne timore solvendæ pœnæ matrimonium in eatur coactè, & quia inhonestum visum est vinculo pœnæ matrimonia abstringi, sive futura, sive jam contracta dist. L. Titia 134. ff. de verb. oblig. Disparitatem autem, cur arrhæ licitæ sint in contractu sponsalium, non autem pœna conventionalis? difficile est assignare, congrua tamen illa videtur esse, quòd pœna simpliciter tantum promittatur, arrhæ verò actualiter tradantur, de eo autem, quod actualiter tradimus, maturiore consilio tractemus, quàm de eo, quod tantum promittimus, non enim sumus tam faciles ad dandum, quàm ad promittendum, adeòque pœna præmissa magis potest impedire libertatem matrimonii, quàm arrha actualiter tradita. vid. P. Engel. ad tit. de Sponsal. §. 2. n. 7. Sponsalia iusto ordine subsequitur matrimonium; de honestate namque illa hoc præcedunt. Can. 39. causâ 27. q. 2. can. 3. caus. 30. q. 5. cujus indissolubilitas probabilius dimanat ex primavâ conjugii institutione, ad quam respexit Christus Dominus, cum dixit: ab initio autem non fuit sic; sed tunc erant duo in carne una. Si enim propriè ex jure naturæ ejus indissolubilitas descenderet, Deus in eo dispensare non potuisset, dispensavit autem hac in materia c. 24. Deuter. ubi repudium concessit, inquiens: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam seditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Quamvis Deum ibidem id tantum permisisse dicant. Unde Laymannus lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 1. 2. ait: Si consummatum, est matrimonium, ex primavâ Dei institutione indissolubile est. Variæ multæque circa hanc materiam occurrunt quæstiones, quas proponet, & ex cathedra resolver, occasione L. consensu. 8. de*

*Repu-*

*Reputatis & judicio de moribus sublato quam pro lectione eurforia elegit*

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DOMINVS

JO. GOTTFRIED STAFFEL,

Natus Numburgi ad Salam MDCCLXIX. ex familia tertio jam seculo ibidem florente. Patrem veneratur JACOBVM BERNHARDVM STAFFELIVM, redituum Cameralium inclutæ civitatis Numburgensis collectorem, atque per triginta annorum decursum administratorem optime meritum, WOLFFGANG CHRISTOPHORI STAFFELII, ejusdem civitatis consulis quondam primarii filium. Matrem vero nactus MARIAM REGINAM, LAVRENTII BEYERI, civis ibidem quondam nominatissimi filiam, sceminam multa virtute & pietate conspicuam. Uterque horum parentum optimorum Dei gratia etiamnum supersitum tantam in amando eo pietatem, tantum in educando illo studium, tantam in erogandis ejus gratia sumtibus liberalitatem testati sunt, ut iis omnibus pro eo ac par est deprædicandis se non sufficere credat. Nihil igitur magis in votis habet, quam ut optimum Numen charissimos hosce parentes ipsi adhuc per plurima annorum spatia sospites ac incolumes servet, gratiamque suam iisdem pro tot in se collatis beneficiis largissime impertiat. Suavissimi enim hi parentes ab extrema puericia animum ejus elegantioribus literis exponendum, & quod primo loco ponendum erat, salutaris religionis Christianæ principiis imbuendum curarunt. Quam primum itaque per aetatem licuit, curæ non solum scholæ publicæ, quæ viget ibi, senatoriæ, ipsam tradiderunt, sed præterea educationem quoque ipsius atque studiorum curam fidei commiserunt privatorum præceptorum, inter quos egregiam in formando atque imbuendo solertiam Viri Amplissimi, ANDRÆE VOLCKII, jam Elect. Sax. Præfecturæ Grülenburgensis prope Dresdam Præpositi gravissimi, nec non indefessam industriam, viri doctissimi, GOTTFREDI STRAVCHII S. S. Theologiæ Cultoris, satis deprædicare nequit.

Nec



Nec minus se debere fatetur M. CHRISTOPHORO LUDOVICO BLOSSIO Scholæ Senatoriæ Numburgens. Rectori longe meritissimo, ante triennium nunc beate defuncto, ut & M. CHRISTIANO SCHOCHERO, laudatæ Scholæ Con-Rectori doctissimo; quorum celebrauissimorum virorum doctrinæ per plures annos felici cum successu usus est. Positis igitur fundamentis in iis studiis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, scholæ patriæ publica & solenni panegyri magna cum laude valedixit, & ad altiora animum adpulit. Almam igitur Academiam Lipsiensem anno MDCCXXVI. adiit, ubi cursum Philosophicum sub moderamine Professoris excell. D. AVGVSTI FRIEDERICI MELLERI emensus. In studio Juris vero rite tractando duces secutus est Antecessores atque JCtos & meritorem magnitudine & famæ amplitudine illustres, MICHAHELEM HEINRICVM GRIBNERVM, JOHANNEM FLORENTEM RIVINVM, & GOTTLIEB WILHELMVM DINCKLERVM, quorum priorum lectiones publicas sedulo frequentavit, DINCKLERI vero privatissimæ informationi in omni juris disciplina præprimis multum se debere lubens fatetur. Nec neglexit scholas obire Doctorum famigeratissimorum, FRANCKENSTEINI, BAVERI, SIGELII, KÆSTNERI ac JOACHIMI, ex iisdemque fructus cepit uberrimos. Exantlato autem studiorum Academicorum labore sub præsidio celeberrimi Antistitis, FRIEDERICI ALEXANDRI KÛNHOLDI Disput. quasdam ex Menckenii Gymnasio polemico publice defendit, & cum visendi amici cujusdam suavissimi causa Wittebergam se contulisset, profectus suos simul in examine, quod pro advocatura audit, illustri, qui floret ibi, JCtorum ordini probavit, eoque judice omnino dignus judicatus est, qui perorandis in foro causis adhiberi possit, eodem etiam tempore a laudato JCtorum ordine Notarius Publicus creatus est. Paulo post Dresdam petiit, & in illustrissimo Reginine Regio & Electorali Saxonico consuetum specimen Practicum Anno MDCCXXX. confecit. Deinceps in Præfectura Circuli Misnensis exercitiis practicis operam dedit sub moderamine Viri celeberrimi atque Consultissimi,

simi, JOHANNIS FRIEDERICI FLEVERTI, Potent. Pol. Reg. Con-  
sularii Commiss. atque praefectura istius praepositi, cujus  
singularem plane favorem erga se expertus est. Hic vero  
cum per tempus aliquod commoratus esset, a supra lau-  
dato viro Amplissimo, ANDREA VOLCKIO, praepotore quon-  
dam suo charissimo, ad munus Actuarii in praefectura Grül-  
lenburg. obeundum vocatus est, cui officio cum per an-  
num fere diligenter atque fideliter praefuisset, & rebus ju-  
dicialibus omnem operam dedisset, ad perorandas in foro  
causas animum adpulit, ideoque Dresdam adiit, ubi sub  
auspiciis Viri Consultissimi atque celeberrimi, CHRISTIANI  
KEVLICHII, Camerae Regiae Procuratoris exercitiis practicis  
operam navavit, brevi post etiam Viro Amplissimo atque  
clarissimo JOHANNI GOTTLIEB STRANZIO, Camerae Regiae  
Secretario commendatus, eidem in Praxi haecenus lauda-  
biliter adstitit, quorum exercitatissimorum in patrocinan-  
do virorum collata in se huc usque beneficia laudibus suis  
longe majora esse existimat. Suasum nunc Patronorum &  
amicorum suorum animum induxit, ad summos in utro-  
que jure honores & privilegia Doctoralia aspirare, ideoque  
Facultatem Juridicam hujatam literis adiit, & ad consue-  
tum Doctorandorum Examen admitti decenter petiit. Pe-  
titioni huic annuit Facultas, eidemque textus ex utroque  
jure in Examine rigoroso resolvendos transmittit, quos  
exacte resolvit, & ad quaestiones propositas, tam solide re-  
spondit, ut ad ulteriora specimina admissus, supremisque  
jurium honoribus unanimi consensu dignus judicatus sit.  
Quare cras horis consuetis lectionem cursoriam ad dict.  
*L. Consensu 8. de repudiis & judicio de moribus sublata.* Eaque fini-  
ta Disputationem Inauguralem DE ADULTERIO MA-  
TRIMONIUM NON DISSOLVENTE habebit. Ad  
quos actus solennes Magnificus Dominus Rector, nec non  
Domini proceres & cives Academici perhumaniter invi-  
tantur. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. IV. Maji  
M DCC XXXII.

(L. S.)





Erfurt, Diss., 1732


ULB Halle 3  
005 355 680



V D 18







8405

22

1732, 21

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
JO. PHILIPPVS  
*S*treit, JCTVS,

MOGVNT. ELECTOR. CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

*L. B. S.*

---

*ERFORDIÆ,*  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

*Spaß*

